



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Potamioena V. M. 28. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

in ipso belli apparatu pulcherrimâ morte occubuit. Mortuus porrò, & currui impositus, sine jumentorum hominumque ope in Templum, quod ab eo VIRGINI structum memoravimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum orbis; at non ego etiam: nam cur filium mirer ad Matrem suam decurrere? *Ex Ant. Bonfn.*

Omnis delectatio hujus mundi, universa ejus gloria, quidquid denique in eo concupiscitur, proventus modicum est, in illius beatitudinis comparatione; sicut tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, & vapor ad modicum parens. S. Bern. serm. de S. Clem.

S. POTAMIOENA V. M. 28. Iunij.

Felices nos bona si nostra, si questum virtutis & certa pietatis vestigalia noverimus: quantum possumus ditescere! POTAMIOENA Alexandrina virgo fornicæ causâ cum multis confictata prociis, & in illo certamine superior, ex amoris palæstrâ in scenam crudelitatis transit, ut ad pudoris lilia constantiæ laurum adjungeret. Aquila homo sanguinarius carnificinæ præerat, cujus in POTAMIOENAM omnem atrocitatem effudit, certus fidem illi vel vitam eripere: jactatam per omnia tormenta, denique ad rogam cum Marcellâ matre damnavit. Virginis ducendæ cura Basilidi demandata non omnino experti humanitatis, & mitiori ingenio, quàm pro tam barbaris ministeriis. Is ergo insultantem virgini multitudinem compescuit, magisque fidei custodis, quàm licetorismunus explevit. Hoc tantillum officium ne suo auctori periret, curæ sibi fore, moritura virgo promissit. Neque defuit dicto fides. Triduo à morte

te exacto, ad Basilidem revisit, eique coronam civicam velut servatori suo imposuit. Ille ex donativo benevolentiam Numinis æstimans, statuit integrum stipendium mereri, & confestim auctoratus Christo, fidem illi abscisso capite probavit. I, dic magno constare cælum quantum dedit Basilides, ut ex lictore Martyr fieret? *Ex Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 4.*

Sanctorum Martyrum esto discipulus: Hi ardentem rogam virtute Dei & fide vicerunt: vince igitur & tu ardentem concupiscentia flammam. Cruciatu superarunt, spe, qua est in Christo, subnixi; tu quoque turpes passiones pudicitia & cogitatione pietatis superare contende. S. Ephr. de Laudib. SS. MM.

SS. PETRVS & PAVLVS. 29. Iunii.

Rectius hodie Roma, misso cum Remo Romulo, conditores suos PETRVM & PAVLVM salutat, quando huic melioris orbis imperium capite suo pepererunt. Et PETRVS quidem, qui pro CHRISTO in terris rem Christianam administravit, quæ ad ignem peccaverat, semper oculorum imbre plectens, cum captus, & in vincula datus ab Herode, ab Angelo exemptus esset, morbos passim omnes vel umbrâ suâ fugasset; demum orbem in Vrbe adortus, CHRISTI, signa primus Romæ intulit. Hic ubi præstigiatores Simonem in cælos (ut ipse quidem ajebat) volantem humi dedit præcipitem, Neronis furori cedens, CHRISTVM obvium habuit, qui rogatus quò iret, Romam ire se ad alteram crucem respondit. Implevit vaticinium CHRISTI continuò PETRVS; sed ut Magistro honorem cederet, inverso corpore tolli in crucem voluit, quò capite terris hoc pedibus cæ-